

CONTROVERSIARUM
DE CHRISTO

LIBER TERTIUS

DE CARNE SIVE DE INCARNATIONE DOMINI.

De Christi divinitate, quae illi communis est cum Patre et Spiritu sancto, necnon de distinctione personali ab utroque disseruimus libris superioribus. Nunc ad humanitatem ejus accedemus, ac de carne quidem, et Incarnatione in hoc Tertio Libro: de anima vero in sequenti disputabimus. Porro praesens controversia quinque partes habebit. In prima referemus errores hujus temporis de Incarnatione. In secunda ostendemus in Christo esse duas naturas. In tertia demonstrabimus in Christo unam esse personam. In quarta exponemus in quo proprie consistat unio hypostatica. In quinta an ex hac unione caro Christi id obtinuerit, ut sit ubique, breviser disseremus.

CAPUT I.

De erroribus hujus temporis circa Incarnationem.

Quod ergo ad primum attinet, duo sunt hoc tempore genera errantium circa Incarnationem: aliqui enim aperte et directe oppugnant hoc mysterium: alii obscure et quasi oblique. Ad primum genus pertinent Anabaptistae et Swenckfeldiani. Anabaptistae diserte docent, Christum non habuisse veram carnem ex Virgine assumptam. Testatur Joannes Cochläus in lib. de error. Monasterien. Anabaptist., hunc esse unum ex praecipuis eorum articulis.

Praeterea Memnon ex signiferis Anabaptistarum docet, Christi corpus ex Patris substantia coelitus delatum in uterum Virginis, ut patet ex Colloquio Wismariensi. Michael Servetus, et ipse Anabaptistarum unus l. II.

de Trin. docet, Christi carnem esse divinam et caelestem, ac ex Patris essentia genitam. Gaspar etiam Swenckfeldius in lib. De div. majest. humanit. Chr. docet, Christi humanitatem post Ascensionem non esse creaturalem, sed supercreaturalem, et ipsum Christum etiam ratione humanitatis esse verum Deum. Denique testatur Petrus Canisius praefat. lib. I. de corrupt. verb. Dei, anno 1571. publice factam potestatem Anabaptistis disputandi questionem illam: an Christus ex Virgine carnem assumpserit, an aliunde; idque in ditone Palatini prope Heidelbergam.

Ad secundum genus pertinent hoc tempore fere omnes Lutherani, qui duo docent, ex quibus sequitur, eos vel esse Eutychianos, vel Nestorianos, vel monstrum ex utraque haeresi temperatum. Primo dicunt, Christi carnem habere attributa divinitatis, ac praecipue omni-praesentiam. Secundo docent hypostaticam unionem consistere in ista communicatione attributorum divinarum ipsi carni et humanitati. Et siquidem voluntista attributa conjungi essentialiter humanitati,

jam illa fiet unum cum divinitate, quæ est hæresis Eutychniana. Si vero conjungi volunt accidentaliter, tum distinctæ erunt personæ Dei et hominis, et una erit in alia per inhabitationem et per accidens, quod est aperte Nestorianum. Sed de refutatione postea agemus: nunc sententiam ipsorum tantum explicamus.

Auctor hujus erroris videtur Jacobus Faber Stapulensis: ita enim scribit in cap. XII. epist. prioris ad Cor. : « Corpus Christi, id est, assumpta humanitas cœlum implet et terram: est enim ubicumque Verbum Dei est, quia Verbum caro factum est, quare Verbum nusquam est sine carne. » Et in cap. XIV. Jo. ita scribit: « Cum Filius sit in Patre et in omnibus Sanctis qui sunt in cœlo et in terra, an etiam corporaliter sit? quidni? sed absque modo, nisi dicas divino et incomprehensibili modo, qui non tam modus, quam non modus dici debet. »

Hunc secutus est in primis Lutherus, qui etsi ubique jactet se credere in Christo unam personam, et duas naturas: tamen doctrina ejus aliud habet. Nam in Serm. de Sacram. Cœn. Dom. tom. 2. Oper. ejus fol. 112. « Credimus, inquit, quod Jesus Christus sit juxta humanitatem super omnes creaturas collocatus, et omnia impleat. » Et paulo post: « Et habeat omnia in sua manu, et sit ubique præsens. » Item in lib. quod verba Christi: *Hoc est corpus meum* adhuc firma constant, prolixè docet, dexteram Dei esse ubique. Deinde assumit corpus Christi esse in dextera Dei, et ut ipse ait: « Non in minimo digito, aut ungue dexterae, sed in tota; » atque inde concludit, corpus Christi necessario esse ubique. Item in libro qui inscribitur: Confessio Martini Lutheri de Cœna Domini, dicit, se probare evidenter, Christi corpus esse realiter præsens in Cœna, quia est ubique: esse autem ubique dicit se probare, quia est in dextera Dei quæ est ubique: et ibidem ponit tres modos essendi in loco.

Primum localiter, id est, circumscriptive, et hoc modo non vult Christi carnem esse ubique. Secundum spiritualiter seu per penetrationem, et hoc dicit convenire corpori glorioso, sed neque hoc modo ponit Christi carnem ubique. Tertium celestem et divinum per unionem hypostaticam, et hoc modo tribuit carni Christi ubiuitatem, et ait: « Necesse habes, Christi carnem quæ est cum Deo una persona, longissime extra crea-

turas collocare, adeoque tam longe, quam Deus ipse extra creaturas est etc. » Quibus verbis, videtur omnino velle, Christi carnem non esse creaturam, sed Deum, cum velit eam longissime distare a creaturis, et tamen esse ubique. Hinc enim colligitur, eam non distare a creaturis distantia locali, cum sit ubique, sed distantia dignitatis, et excellentiæ, ac proinde esse revera Deum. Et ibidem reprehendit Zwingianos, quod passionem Christi soli tribuant humanitati, non etiam Deitati. At certe si caro Christi non est creatura, et Deitas passa est: videtur omnino unum quid factum ex utraque natura, et hoc idem repetit in lib. de Conc., nimirum, errasse Zwingianos cum dicunt, Christi divinitatem pati non potuisse, ubi (ut alias dixi) defendit, Nestorium et Eutychem non errasse nisi in modo loquendi.

Joannes Brentius adeo locupletavit hæc doctrinam, ut putetur auctor Ubiquitatis, cum tamen vere non sit, sed Lutherum sequatur. Primum igitur in Apol. pro Confess. Wirtembergens. in tract. de Cœn. Dom. ex professo tradit, Christi carnem esse ubique ratione unicis hypostaticæ, et in lib. de duob. nat. Christ. et ascens. et sess. a dext., idem asserit, et probat multipliciter, cujus argumenta postea solvemus. Ibidem asserit, Christi corpus etiam ante passionem fuisse in cœlo invisibiliter, et nunc quoque non esse in aliquo certo loco cœli, sed ubique. Denique in alio lib. de majest. Christ. hom., in hoc ponit unionem hypostaticam, quod Filius Dei in Filium Mariæ effuderit omnia dona, et proprietates suas: ubi simul Nestorianus est, distinguens Filium Dei a Filio Mariæ, et Eutychnianus est, tribuens carni omnia divina attributa: « Et Petri, inquit, humanitas in uno tantum loco est: divinitas autem qua impletur et sustentatur, ubique sese diffundit; et cum propter causam Petrus et Deus, seu Filius Dei qui est in Petro, sint duæ distinctæ hypostases, seu personæ: quomodo non etiam propter eandem causam Filius Mariæ et Filius Dei, qui est in Filio Mariæ, duæ fierent personæ? » Hæc ille; ubi hoc solum discrimen ponit inter unionem Dei cum Christo et cum Petro, quod Deus non habet Petrum, ubique sibi unitum, et ideo ab eo distinguitur personaliter: Christum autem habet ubique unitum, et ideo ab eo non distinguitur personaliter.

Notabis vero hoc loco, et in sequentibus

Brentii verbis Nestorianas illas phrases, Filius Dei est in Filio Mariæ: item, Filius Dei assumpsit Filium hominis. Sic enim pergit in eodem libro: « Cum dicitur Deus, seu Filius Dei assumpsisse, aut univisse hominem sibi, seu Filium hominis personaliter, non id solum significatur, quod Deus substantia seu essentia sua existat in homine, et conferat aliquot dona sua in hominem: (sic enim dici posset, quod Deus sibi univisset personaliter, non tantum semen Abraham, aut filium Virginis, verum etiam quemvis hominem, imo quemvis creaturam) sed illud proprie significatur, quod Deus ita se uniat, et conjugat, cum homine, ut in ipsum omnem majestatem suam conferat, nec cum uno tantum, aut altero, aut etiam multis, sed infinitis, adeoque omnibus, omnibus, inquam, suis celestibus ac divinis donis ornet. » Et infra: « Cum omnipotentiam suam Filius Dei in Incarnatione contulerit in Filium hominis, adeo ut eam communem habeat cum Filio hominis, omni-præsentia vero ab Omnipotentia pendeat; negari non potest quin etiam contulerit omni-præsentiam. » Et infra declarans quid sit, Verbum caro factum est: « Hoc, inquit, tale est, quod Filius Dei sic impleat Filium Mariæ, ut communicet eum eo omnem suam potentiam, sapientiam, et felicitatem, et præsentiam: nisi enim hæc sit sententia, non habebitur inter Christum et alios homines discrimen. » Et hæc sæpissime repetit, in quibus certe vides, unionem hypostaticam nihil esse aliud, quam effusionem donorum, et attributorum Dei in naturam Christi humanam.

Jam Matthias Illyricus in lib. de Ascens. Dom., et loc. Pet. Act. III. *Quem oportet cœlum suscipere*, contendit, Christum hominem non esse in Cœlo ut in loco, sed potius Cœlum esse in Christo, cum ipse sit ubique. Et ibidem vult, Christum in die Ascensionis ascendisse usque ad nubes, deinde non ulterius perrexisse in illa forma corporis visibili, et circumscripta, sed quodammodo evanuisse, ita ut jam nusquam sit in illa forma aspectabili, sed ubique sit invisibili majestate, quod quid est aliud, quam veram Christi carnem plane destruere?

Martinus Kemnitius in lib. de duob. Christ. nat. vult videri valde cautus, et omnia mirabiliter involvit: nam cap. 30. ubi tractat ex professo, an caro Christi sit ubique, non

audet dicere absolute esse ubique, sed dicit esse ubi voluerit, et posse esse ubique si voluerit, tamen vel pugnat secum, vel dicit quod alii dicunt. Nam in primis initio libri proponit præcipua loca Scripturæ pro majestate Christi, et inter alia ponit illum ex Mat. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (1). Et hoc modo explicat, *data est mihi omnis potestas*, id est, omnipotentia: *in cœlo et in terra*, id est, omni-præsentia. Deinde cap. 4. habet hæc verba: « Quæ unio adeo arcta, individua, et insolubilis, et inseparabilis est, ut divina natura *totus visus* nec velit, nec possit, nec debeat extra hæc cum carne unionem, sed in ærissima illa unione cogitari, queri, aut deprehendi. » Et hoc aliquoties infra repetit. At si natura divina non potest cogitari, vel deprehendi sine carne; necessario sequitur, unum esse de essentia alterius, et proinde una natura erunt.

Ibidem dicit, ex unione hypostatica communicari carni, seu humanitati omnes divinas dotes. Et cap. 21. dicit, præter dona infusa et creata, communicari naturæ assumptæ etiam attributa propria divinitatis, et proinde omnipotentiam, et omni-præsentiam. Denique cap. 30. dicit, Christi humanitatem non solum esse in cœna, sed etiam extra cœnam in Ecclesia præsentem Fidelibus re-ipsa: et addit, etiam extra Ecclesiam omnia subjecta esse Christi humanitati, et Christi humanitatem omnibus rebus dominari, et omnia regere, non per Vicarios quasi a rebus distet, quomodo reges gubernant provincias per alios, sed habere omnia præsentia: at nonne hoc est esse ubique?

Similia docet Joannes Wigandus in lib. de communic. idiom., et Nicolaus Selneccerus in lib. de pædagog. spirit., ubi Symboli articulum de ascensione exponit. Joannes etiam Timanus pastor Bremensis in libro quem vocat farraginem sententiarum, adducit plurima testimonia insignium Lutheranorum, quod Christi corpus sit ubique. Andreas Musculus, teste Staphilo, in lib. de Conc. discipul. Luther. contendit, divinitatem Christi in cruce passam esse, idque probat pluribus Lutheri testimoniis.

Item Jacobus Andreas Smidelinus superintendens Wirtembergensis, insignis Brentianus, in thesibus Tubingensibus disputatis omnino non agnoscit aliam unionem hypostati-

(1) Matth. XXVIII, 18.

cam, quam per communicationem donorum, eamque accidentalem; nam thesi 20, sic ait: « Non est imaginanda aut fingenda alia Dei in Christo, quam in creaturis reliquis omnibus, quoad *veritas*, divinitatis presentia, qua ut in creaturis energia discernitur, quod alia in aliis agat et operetur, ita in Christo tota effunditur, ut jam extra ipsum nihil, sed in homine, et per hominem Christum omnia in omnibus operetur. » Et thesi 22, sic ait: « Neque vero hac reali plenitudine, omnis divinitatis communicatione, natura humana cum divinitate miscetur, aut plane aboletur, sed quod divina est per essentiam, id humanæ suo modo per accidens communicatur. » Et thesi 24: « Hæc sola, inquit, idiomatum *hæretica* hypostatica unio definienda est. »

Denique Concordia Evangelica anno 1580, edita, hunc præcipue scopum habere videtur, ut stabilitat Ubiquitatem, et destruat mysterium Incarnationis. Nam in epitome articuloꝝ controversoꝝ art. 7, §. 5. habes, dexteram Dei esse ubique, et ad eam esse evectam Christi humanitatem. Art. 8, §. 11. habes, ab ipsa conceptione Christi, illum hominem assumptum fuisse in Deum, et exaltatum ad dexteram Dei, ita ut non solum Christus ut Deus, sed etiam ut homo omnia possit, omnia sciat, omnibus creaturis sit præsens. Cæterum hæc omnia Christum non ostendisse nisi post resurrectionem, quando deposuit formam servi. Deinde in repetitione copiosa eorundem articuloꝝ ista omnia proluxe probant.

Est autem observandum, Saxonicas Ecclesias tunc mutasse sententiam. Nam initio, Luthero docente, defendebant cum ipso Ubiquitatem. Deinde Luthero mortuo, regnante Melancthone, coeperunt oppugnare Ubiquitatem contra Illyricum et Brentium. Nam Philippus in III. cap. epist. ad Colos. aperte damnat Ubiquitatem, et vult, Christum esse in certo loco cæli quoad carnem ubique autem quoad divinitatem. Et in epist. ad Fridericum Comitum Palatinum, quam scripsit anno 1559: « Alii, inquit, ubiquitatem excogitarunt. » Et addit: « Hæc sunt portentosa omnia, ignota erudite vetustati. »

Unde etiam anno 1571. celebraverunt Synodum Dresdensensem, convenientibus et consentientibus omnibus Superintendentibus Ducatus Saxonici, necnon Doctoribus Academicarum Lipsiæ, et Wirtembergæ, atque ibi statuerunt, Ubiquitatem corporis Christi

esse horribilem profanationem omnium articuloꝝ Symboli, et renovationem omnium hæreseon: « Quod, inquit, precipuum Fidei nostræ, et Ecclesiæ caput est, videlicet, articulus de duabus naturis in Christo, id commentitia idiomatum reali, et physica in ipsis naturis communicatione depravari horribiliter, atque e contrario hæses jam olim damnatas Marcionitarum, Valentianorum, Manichæorum, Samosatensium, Sabellianorum, Arianorum, Nestorianorum, Eutychnianorum et Monotelitarum reduci, atque innovari satis evidenter demonstratum est. » Et infra: « Commentitia ista communicatio physica, quæ nostro primum tempore cum Ubiquitate corporis Christi introduci cœpta est, universe Orthodoxæ Ecclesiæ, et toti orbi Christiano inde usque ab initio incognita fuit, atque etiam nunc a Pontificiis ipsis rejecta, et taxatur acerrime. » Et infra: « Commentitia illa ubiquitas horrendum in modum corrupti omnes pene articulos Fidei de Christo, ac discernim divinæ, et humanæ naturæ in Christo in primis delet atque evertit. » Hæc illi tunc. Ubi etiam gloriabantur, in Saxonia semper fuisse eandem fidem immobilem, et consensum in doctrina.

At non fluxerunt anni decem, quando prodit ex eadem Wirtembergæ, et Lipsiæ, et cæteris ejus regionis locis nova Concordia, in qua tantopere damnata illa Ubiquitas recitur pro articulo Fidei: sic enim habet ea Concordia edita in-4, anno 1580, pag. 731. « Revera omnia implet, et ubique non tantum ut Deus, verum etiam ut homo præsens dominatur a mari usque ad mare. » Hæc illi: qui eadem repetunt, et supra pag. 572. et infra pag. 745. ac proinde Dresdensense Concilium in Spiritu sancto congregatum, ut ipsi credebant, rejiciunt tanquam impium; et adhuc non vident, quam aperte deludantur a Satana?

Scripserunt contra hanc Ubiquitatem præter Scholasticos in III, dist. 22. Claudius Sanctius repetitione 4. de Euchar. et ante eum scripsit quidam ex nostris theses quasdam de Majestate Christi hominis, quæ sunt Ingolstadii excusæ anno 1564. Ac postea anno 1582 et 84, scripsit etiam ex Societate nostra Gregorius de Valentia contra eandem Ubiquitatem quatuor libros. Ex adversariis scripserunt Henricus Bullingerus lib. de duab. nat. Christ.; Petrus Martyr Dialogum de loco corporis Christi; et Theodorus Beza

librum de omnipresentia carnis Christi contra Brentium, et alterum de unione hypostatica duarum in Christo naturarum contra Schmidelinum.

CAPUT II.

Explicatur hæresis Eutychetis.

Jam vero ut ad secundum veniamus, demonstrandum est, duas esse in Christo naturas: sed prius explicanda est sententia Eutychetis, qui significat eum hæreseos, quam nunc refellimus. Sciendum igitur est, hæresim fuisse Eutychetis, in Christo post incarnationem unam tantum fuisse et esse naturam: non enim putabat aliter posse defendi contra Nestorium, esse unum Christum et non duos.

Deinde dicebat, unam esse factam naturam ex divinitate et carne, et id per conversionem divinitatis in carnem, quia scriptum est Jo. I: *Verbum caro factum est* (1); et quia unum fieri alterum, est verti in illud, sicut cum aqua facta est vinum, aqua conversa est in vinum: et nunc cum panis per consecrationem fit caro Christi, panis convertitur in carnem Christi.

Tertio assererat, divinitatem Verbi natam, passam, mortuam, sepultam fuisse: quod quidem ex prioribus erroribus nascitur. Si enim divinitas versa est in carnem, et caro nata, passa, mortua, sepulta dicitur, certe divinitas nata, passa, mortua, sepulta dicenda est; non enim ita divinitas fingitur versa in carnem, ut desierit esse divinitas; quomodo aqua cum in vinum vertitur desinit esse aqua. Ratio hujus erroris fuit, quia non putabat posse refelli Nestorium, qui Christum Deum natum et passum negabat, nisi divinitas Christi nata, et passa ostenderetur.

Quarto assererat, Christi carnem non esse ejusdem naturæ cum nostra, neque Verbum in veram carnem esse conversum, sed in carnem quandam apparentem et phantasticam, ita ut potius Verbum simulaverit se hominem, et natum, et mortuum esse, quam revera fuerit. Ratio ejus est, quia videtur

indignum Deo, quod vera caro fuerit, et vere natus, passus, et mortuus sit.

Atque ita hæresis ista in hæresim Valentini, Manichæi, et aliorum, qui verum humanitatem in Christo negabant, tandem recidebat: quam postea ex Lutheranis secuti sunt Gaspar Swenckfeldius, et Andreas Musculus, si Staphilo credimus in lib. de Concord. discipul. Luth. Hanc fuisse hæresim Eutychetis, cognosci potest ex epistola S. Flaviani ad B. Leonem, quæ est 9. inter epistolas B. Leonis, et ex epist. 97. S. Leonis ad Leonem Imperatorem, et ex lib. IV de hæret. fab. Theodoretum in fine.

Notandum autem est, hanc hæresim exortam fuisse ante tempora Eutychetis; ipsumque Eutychem non tam fuisse primum auctorem, quam præcipuum propagatorem hujus hæresis. Idem enim antea docuerat Apollinaris, ut testatur Epiphanius hæresi 77. Augustinus hæresi 55. et Vincentius Ligriensis in suo Commonit. Eandem quoque hæresim refellunt sine nomine auctoris Athanasius in epist. ad Epictetum; Ambrosius lib. de Incarnat. Dom. sacram. cap. 6. et Cyrillus lib. de rec. Fide ad Theodos. qui omnes mortui erant cum Eutyches exortus est.

Porro catholica Fides semper agnovit post Incarnationem duas integras et perfectas naturas, divinam et humanam, quæ quidem sine ulla confusione, vel permixtione in unam Verbi convenisse personam: item naturam divinam neque natam, neque passam esse, sed Verbum in natura humana natum et passum; ac demum illam humanam esse, ac fuisse ejusdem speciei cum nostra; quæ omnia probari possunt testimoniis Scripturarum, Concilioꝝ, et Patrum.

CAPUT III.

Refellitur hæresis Eutychetis.

Primum igitur, duas esse in Christo naturas, contra primum Eutychetis errorem testantur illa verba Domini Jo. III: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius*

(1) Joan. I, 14.

hominis qui est in celo (1). Certe iste qui loquebatur et videbatur, et filium hominis se dicebat, secundum eam naturam per quam videbatur et loquebatur, et filius hominis erat; non erat tunc in celo, sed tantum in terra, id est, in domo cum Nicodemus. Neque erat Deus, sed homo, quia Deus non potest audiri, videri, tangi corporeis sensibus. Neque descenderat de celo, sed natus erat in terra ex muliere: et tamen iste idem asserit se descendisse de celo, et etiam tunc cum loquebatur in terra, dicebat se esse in celo; ergo alteram naturam Christus habuit præter humanam, secundum quam potuit esse in celo, quando secundum humanam erat in terra.

Idem probatur ex verbis Domini Jo. V, X, et XIV, nam Jo. V dicitur: *Non solum solvebat Sabbatum, sed etiam Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Jo. X dicebat: *Ego et Pater unum sumus.* Unde Pharisæi recte collegerunt, Christum per ea verba se Deum asserere voluisse. At Jo. XIV: *Pater, inquit, major me est (2).* Non autem potest ullo modo fieri, ut secundum eandem naturam esset Patri æqualis, imo unum cum illo, et tamen minor Patre.

Præterea Jo. VIII, Dominus ait: *Antequam Abraham fieret, ego sum (3).* At ille idem natus erat in diebus Augusti Cæsaris, Luc. II, et habuerat 30. annos, anno 15 Tiberii, Luc. III. Non autem potest fieri ut idem secundum idem fuerit ante Abraham, et post Abraham. Jo. XX, Thomas postquam viderat et forte tetigerat Domini cicatrices, exclamavit: *Dominus meus et Deus meus (4).* At certe quod viderat et tetigerat non erat Deus, sed caro: et tamen eum ipsum Deum et Dominum confitetur, cujus carnem viderat; igitur ille et Deus, et homo erat. Quod etiam aperte docet S. Petrus, cum ait Actor. II: *Dextera igitur Dei exaltatus; effudit hoc domum quod vos videtis et auditis (5).* Nam exaltari non est Dei, sed creaturæ: effundere Spiritum sanctum non est creaturæ, sed Dei.

Item Paulus sic ad Episcopos loquitur, Act. XX: *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (6).* At Deus ut Deus non habet sanguinem, nam spiritus est Deus: et qui ha-

bet sanguinem ut sic non est Deus; ergo qui est Deus et sanguinem effudit, necessario habet duas naturas. Rom. IX: *Quorum Patres, inquit Paulus, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula (7).* Hic Apostolus dicit, Christum esse ex parentibus Judæis secundum carnem: et tamen simul esse Deum super omnia, nimirum secundum divinitatem. Denique idem Paulus Philip. II asserit, Christum cum in forma Dei esset, servi formam accepisse. Quæ verba explicans S. Vigilus lib. II: *Quæ alteram naturam Christus habuit præter humanam, secundum quam potuit esse in celo, quando secundum humanam erat in terra.*

Jam vero quod illæ naturæ non sint permixtæ, nec sit divinitas versa in humanitatem, contra secundum errorem probatur. Nam tota Scriptura clamat, Deum esse immortalem et incorruptibilem, ut Malach. III: *Ego Dominus et non motor.* Num. XXIII: *Non est Deus ut Filius hominis ut mutetur.* Jacobi I: *Apud quem non est transmutatio.* I. Timot. I: *Regi sæculorum immortalis, invisibilis, etc.* Et cap. VI: *Qui solus habet immortalitatem, etc. (8)*

Non esse autem divinitatem natam, passum, mortuum, ut error tertius asserbat; tum ex dictis colligitur, nam qui est immutabilis, et immortalis, nec in tempore nasci, nec mori ullo modo potest secundum id unde est immortalis et immutabilis: tum etiam quia Scripturæ cum docent, Christum in tempore natum, passum et mortuum esse, addunt secundum carnem: qua voce clare indicant, Christum non esse natum, nec passum, nec mortuum secundum divinitatem. Rom. I: *Qui factus est ei ex semine David, secundum carnem.* Et cap. IX: *Ea quibus est Christus secundum carnem.* Et I. Pet. III: *Mortificatus quidem carne, etc.* Et cap. IV: *Christo igitur in carne passo, etc. (9)*

Adde postremo ad confusionem eorum Lutheranorum, qui Deitati passionem tribuere non verentur, aliquot clarissima testimonia illustrium Ecclesie Doctorum. Epiphanius hæres. 76. Aetii: *« Nam, inquit, neque quod passus est unigenitus in carne, passionem Deitati ipsius adsciscit. »* Et infra: *« Sed et ipse Dominus venit, et passibilitate in seipso suscepta, vere passus est, Deitate ipsius a*

(1) Joan. III, 13. — (2) Joan. V, 18; X, 30; XIV, 28. — (3) Joan. VIII, 58. — (4) Joan. XX, 28. — (5) Act. II, 33. — (6) Act. XX, 28. — (7) Rom. IX, 5. — (8) Malach. III, 6; Num. XXIII, 19; Jacob. I, 17; I. Timoth. I, 17; Ibid. VI, 16. — (9) Rom. I, 3; et IX, 5; I. Petr. III, 18; et IV, 1.

passione aliena. » Similia leges in Anecdotis.

Athanasius in epist. ad Epictet.: *« Quis, inquit, infernus ista erucavit? ut consubstantialia dicant corpus ex Maria genitum cum Verbi divinitate? Aut quis ita impius fuit, ut diceret simul et sentiret ipsam Deitatem circumscissam fuisse? »* Et Cyrillus in epist. ad Nestor, nomine Synodi Alexandrinæ: *« Dicimus, inquit, illum passum esse et resurrexisse, non quia Deus Verbum in sua natura passus sit, Deus namque extra passionem est, sed quia corpus illud, quod proprium ipsius factum est, hæc sustinuit. »*

S. Anastasius lib. IV, qui est de passione, et impassibilitate Christi: *« Et Christum, inquit, passibilem fuisse juxta sapientissimi Pauli locutionem, confitemur, non id alioqui secundum divinam naturam, ut neque secundum humanitatem dicimus impassibilem. »* Et infra: *« Est quidem Deus, qui patitur, divinitate interim nihil in se recipiente externæ passionis. »* Joannes Damascenus lib. III, cap. 4.: *« Divinitatem dicentes, non de illa nominamus ea, quæ humanitatis sunt propria, non enim dicimus Deitatem passibilem. »*

S. Ambrosius lib. X in Luc. n. 407. *« Nec mors illa divinitatis fuit, sed quasi hominis. »* Concilium Hispanense II, cap. 13.: *« Stultum, inquit, est crucis passionem divinam applicare naturæ, sed tantum creabili et humane, sola enim caro crucis exitum sensit. »* Sanctus Augustinus lib. de hæres. cap. 73.: *« Est, inquit, hæresis quæ dicit in Christo divinitatem doluisse, cum figeretur caro ejus in cruce. »* S. Leo epist. 10. *« Natura, inquit, inviolabilis naturæ est unita passibili, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Mediator Dei et hominum Christus Jesus, et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. »* B. Vigilus lib. IV: *« Ipse, inquit, unus idemque Dei Filius mortuus est secundum formam servit, et non est mortuus secundum formam Dei. »*

Quod autem Christi caro sit ejusdem speciei cum nostra, contra quartum errorem, et Christum non simulatorie, sed vere natum, passum, mortuum esse, nullo negotio probari potest: nam Matth. I. et Luc. II. dicitur B. Virgo peperisse *Filium suum primogenitum (1)*: quomodo autem potuit Virgo Christum habere Filium, si Christi caro non

fuit vera caro ex carne Virginis concepta? item Paulus ait, Hebr. II. *Quia pueri communiverunt carni et sanguini, et ipse participavit eisdem (2).* Quid, queso, est eisdem nisi ejusdem naturæ carni, ac sanguini?

Jam vero Evangelia et Apostolorum epistolæ nonne plurimorum mendaciorum argui deberent, cum passim Christum hominem, et hominis filium vocent, et matrem atque cognatos habuisse, necnon esurivisse, comedisset, ambulasse, fatigatum esse, denique passum, mortuum, suscitatum affirmant? nec enim aliquid horum de phantasmate vere affirmari potest. Nec solum Scripturæ Christum hominem vocant ante resurrectionem, sed etiam postea. Nam Actor. VII. Stephanus dicit, *video celos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Et Paulus Actor. XVII. *Statuit Deus diem, in quo judicaturus est orbem in viro, in quo statuit etc. (3)*

Deinde, si Christus non vere mortuus est, nec vere resurrexit; ergo non vere nos redemit, et adhuc sumus in peccatis nostris, ut Apost. dicit I. Corinth. XV. Denique Luc. XXIV. cum discipuli suspicarentur phantasma vel spiritum esse quod videbant, non verum hominem, Dominus ait: *Palpate et videte, quia spiritus carum et ossa non habet, sicut me videtis habere (4).* Atque hæc ex Scripturis.

Nunc ex Conciliis idem probari potest. Nam contra hanc hæresim celebratum est Concilium Chalcedonense, quod fuit omnium maximum, nempe 630 Episcoporum: et cum in prima actione recitaretur Fides Eutychetis et Dioscori, in qua continebatur, duas fuisse Christi naturas ante unionem, postea vero unam esse factam ex utraque, Concilium exclamavit: *« Anathema ei, qui dixit ista, anathema eis, qui ista dixerunt. »* Postea act. V. in Symbolo Fidei posuerunt hoc modo: *« Unum eundemque confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum docemus: in novissimis autem diebus, unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter unionem. »* Idem statutum est etiam postea in Concilio V, can. 2. in Concil. VI, act. IV et XVII. et Concilio Lateranensi contra Monothelitas, a Martino I, celebrato, consultatione ult. can. ult. 4 et

(1) Luc. II, 7. — (2) Hebr. II, 14. — (3) Act. VII, 55; Ibid. XVII, 31. — (4) Luc. XXIV, 39.

6, in Concil. Tolet. VI, cap. 1. Tolet. XI, cap. 5 et 6, Hispalensi II, cap. 13 et aliis multis.

Idem ex Patribus confirmari posset, sed Theodoretus, Leo, Vigilus, et Gelasius, necnon Hispalense Concilium II, nos labore levarunt. Theodoretus enim in dialogo Immutabilis, et in dialogo Inconfusus, et in dialogo Impatibilis, quibus hunc errorem refellit, adducit prolixè testimonia omnium fere veterum Patrum qui ante ipsum fuerunt. Idem fecit S. Leo in epist. 97. ad Leonem Augustum, et B. Vigilus lib. V, cont. Eutychet., et Gelasius in lib. duab. nat. Christ., et Conc. II Hispalense, cap. ult. quæ testimonia satis esse nobis visa sunt.

CAPUT IV.

Solvuntur argumenta, quæ fiebant olim adversus ea, quæ superiore capite demonstrata sunt.

Superest solvere argumenta adversarium. Ac primum occurrit auctoritas Patrum et Conciliorum. Nam in ipso Chalcedonensi Concilio act. I, post epistolam Cyrilli ad Joannem Antiochenum, Eustachius Episcopus Beritensis asseruit, S. Cyrillum scripsisse, non oportere intelligere in mysterio Incarnationis duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam. Et in Concilio Laoranensi sub Martino I, dicitur anathema non confitentibus naturam Verbi incarnatam. Idem ex Athanasio, et Cyrillo admittit Damascenus lib. III, de Fid. cap. 6 et 7. Gregorius etiam Nazianzenus in epist. ad Chelidon. dicit, carnem deificatam, quod idem videtur esse ac si diceret, divinitatem incarnatam.

Respondeo: naturam Verbi esse incarnatam dici posse, si intelligatur sano modo, ut explicat Concilium V, et Damascenus loco notato, nimirum, quod sit incarnata non per conversionem in carnem sed per unionem cum carne in una hypostasi Verbi. Quamquam verba, quæ citantur in Concilio Chalcedonensi ab Eustachio tanquam si essent Cyrilli, verisimile est non esse Cyrilli, sed

apposita tunc fuisse in operibus ejus ab hæreticis: Catholici enim in ipso Concilio multum reclamabant verbis illis auditis, dicentes, ea Dioscori hæretici potius, quam Cyrilli videri. Porro, quod Gregorius Nazianzenus epistol. I, ad Chelidon. dicit, carnem deificatam per Incarnationem, sensum illum habet, factam esse carnem Dei per unionem cum Verbo, non factam esse Deum per conversionem in divinitatem.

Argumentum secundum. Si duæ sint naturæ in Christo, duo Christi erunt secundum hæresim Nestorii, et proinde non Trinitas erit Deus, sed Quaternitas: nam si Pater et Filius dicuntur unus Deus propter unam essentialiam; cur propter duas essentialias non erunt Christi duo?

Respondeo: nomina concreta nunquam multiplicentur nisi multiplicentur supposita, et si substantiva sint, requirunt etiam formæ multiplicationem, alioqui non possunt efferi nisi in singulari: nam qui habet duas artes, non dicitur duo artifices, sed unus artifex, et habens plures vestes, non dicitur plures vestiti, sed unus. Quoniam ergo in Christo unum tantum est suppositum, non possunt dici plures Christi vel Domini, vel Filii, sed unus. E contrario Pater et Filius dicuntur unus Deus propter unitatem formæ: nam cum duo requirantur ad multiplicationem substantivorum, si alterum desit, efficitur unitas, quæ est privato divisionis: ratio autem horum omnium est, potissima consuetudo loquentium.

Porro Christi nomen non naturam, sed personam significat; et propterea, ut Nazianzenus monet in epist. ad Chelidon., sicut in Trinitate dicimus alium et alium propter numerum personarum, non tamen aliud et aliud propter naturæ unitatem: ita in Christo post Incarnationem dicimus aliud et aliud propter numerum naturarum, non tamen aliud et alium propter personæ unitatem. Neque sequitur, in Deo esse Quaternitatem post Incarnationem; quia Trinitas quæ est in Deo, est personarum non naturarum: Incarnatio autem non auxit numerum personarum. Et præterea per Incarnationem nihil accessit Deo, qui perfectissimus est, et nec augeri, nec minui potest, sed accessit multum boni humanæ naturæ, ut recte docet Athanasius in epist. ad Epictet., hoc ipsum argumentum solvens.

Argumentum tertium. Jo. I. non dicitur, Verbum carnem accepit, sed *Verbum caro*

factum est (1), quemadmodum dicitur Jo. II: *Aqua vinum facta est in nuptiis*: sed aqua facta est vinum per conversionem unius in alterum, ita ut postea non fuerit duæ naturæ, sed una; igitur eodem modo Verbum factum est caro per conversionem Verbi in carnem, et licet ante unionem duæ naturæ essent Verbi, et carnis, tamen post unionem una natura est.

Respondet ad hoc argumentum accurate Theodoretus in Dialogo qui dicitur Immutabilis, ac profert Scripturas, quæ testantur, Verbum non modo factum esse carnem, sed etiam a Verbo assumptam esse carnem. Nam in epist. ad Philipp. capit. II. sic legitur: *Cum in forma Dei esset, exinavit semetipsum, formam servi accipiens*. Et Heb. II. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit* Et Joan. I. postquam dixerat Evangelista *Verbum caro factum est*, ne putarem id factum esse per conversionem, statim subdit: *Et habitavit in nobis*, id est, *Verbum factum est caro, quia nostra carne assumpta, in ea habitare cepit* (2).

Itaque *Verbum caro factum est* non ita debet intelligi ut illud, *aqua facta est vinum, vel panis factus est caro*, sed sicut dicitur: *Aaron a Deo factus est Pontifex, David factus est Rex*. Non enim intelligimus mutatum esse Aaronem in Pontificem, vel Davidem in Regem, sed cepisse eos esse quod non erant, non amisso eo quod erant: sicut dicitur Galat. III. *Christus pro nobis factus est maledictum* (3). Quem locum adducunt etiam in explicationem hujus sententiæ Athanasius in epist. ad Epictet., Nazianzenus in epist. pri. ad Chelidon. Chrysostomus in hunc locum Jo., et Ambrosius in lib. de Incarn. Dom. Sacram. cap. 6.

Argumentum quartum. Si divinitas passa et mortua non sit; sequitur veram hæresim esse Nestorii, qui solum hominem passum et mortuum dicebat. Respondeo: consuetionem non esse bonam; nam actiones et passionem personarum sunt, non naturam. Itaque Christus Deus passus et mortuus est, sed secundum formam servi, non secundum formam Dei: nam Paulus dicit, ipsum Dominum gloriæ crucifixum fuisse, I. Corinth. II, sed secundum quam naturam id passus fuerit, explicat Petrus, cum ait: *Christo igitur*

tur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini (4).

Argumentum quintum. Indignum divinitate esse videtur, ut in veram carnem conversa esse dicatur; ut in utero feminae conclusa manserit; ut in cruce mortua penderet etc. ergo non vere sed simulatorie Verbum caro factum est etc. Respondeo: verisimum esse antecedens, et inde recte colligi, nec vere, nec simulatorie in carnem conversam esse Divinitatem. At non esse indignum Deo, ut secundum formam humanam assumptam in utero Virginis clausus manserit, et in cruce mortuus penderet; et idcirco nec sequi, ut Verbum non vere, sed simulatorie caro factum dici debeat.

CAPUT V.

Explicatur hæresis Nestorii.

Altera hic tractanda est controversia cum Nestorianis, quæ est tertia pars proposita disputationis. Sciendum igitur est, Cerinthum olim separasse Jesum a Christo, et Jesum purum hominem esse voluisse ex Maria et Joseph natum: Christum autem esse Filium Dei, qui tandem tempore Baptismi in forma columbæ in Jesum descenderit, ut refert Irenæus lib. I, cap. 23. Hanc hæresim postea iterum excitarunt Pelagiani quidam, qui, ut scribit Cassianus lib. I et VI. de Incarnatione, docuerunt, purum hominem de Maria esse natum, et eundem suis meritis anno 30, factum esse Christum, et post passionem suis etiam meritis factum esse Deum, et posse eodem modo alios homines suis viribus bene vivere, et ad beatitudinem pervenire sicut Christus doceret.

Paulo post, eandem hæresim docere cepit Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus, et cum eo Anastasius ejus Presbyter, necnon Theodorus Mopsuestenus Episcopus, et alii quidam. Docuerunt enim, B. Virginem purum hominem peperisse, et qui non solum naturam, sed etiam personam humanam haberet, et proinde Beatam Mariam non

(1) Joan. I. 14. — (2) Philipp. II. 6; Hebr. II. 16; Joan. I. 14. — (3) Galat. III. 13. — (4) I. Petr. IV. 1.

esse Dei genitricem, sed Christi genitricem: et nativitatem, passionem, resurrectionem, Ascensionem Christi soli homini tribuendam.

Addebant autem, Filium Dei unitum esse postea filio hominis multis modis, non quidem substantialiter communicando hypostasim, sed accidentaliter. Primo, secundum habitationem, quia Verbum habitavit in homine Christo ut in suo templo, juxta illud Jo. II. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Et propterea dicebant Isaiæ cap. VII. *cante scriptum esse: Vocabitur nomen ejus Emmarmel*(1), id est, non vocabitur Deus, sed nobiscum Deus, id est, in nobis habitans, juxta illud Jo. I. *Et habitavit in nobis.* Secundo, per unionem voluntatis et dilectionis, quia filius ille hominis conjunctissimus erat semper cum Dei voluntate. Addebant Theodorus similitudinem, quæ refertur in V Synodo can. 12. *« Ut enim vir, et mulier duæ personæ sunt, et tamen dicuntur una caro in Scripturis propter copulam conjugalem: ita etiam Filius Dei, et Filius hominis duæ personæ sunt, et tamen dici possunt unus Christus propter conjunctionem spirituales. »* Tertio, secundum operationem, quia Christus homo erat instrumentum, quia utebatur Verbum in operibus illis admirandis, quæ a Christo facta sunt. Quarto, secundum participationem, quia Verbum illi homini impertivit nomen et dignitatem suam, ut nimirum Deus et Dei Filius vocaretur, et ab omnibus creaturis adoraretur, non propter se, sed propter eum a quo assumptam fuerat: eo modo, quo imagines Sanctorum nominibus eorum interdum appellantur, et propter eos etiam honorantur et adorantur.

Hanc fuisse Nestorii hæresim, intelligi potest ex illa expositione Fidei, quam ipse edidit, et habetur nunc in ultimo tomo operum Cyrilli. Item ex historia Evagrii lib. I, cap. 2 et sequentibus, in quorum 7, refert Evagrius, Nestorium misere interisse, lingua ei a verbis penitus ante corrosa. Item ex Breviario Liberati cap. 4. Denique ex Theodoro lib. IV de hæret. fab. prope finem, et in reprehensione 12, anathematismorum S. Cyrilli. Theodoretus enim initio scripsit pro Nestorio contra S. Cyrillum, et propterea anathematizantur scripta ejus in V Synodo cap. 12, tamen postea respuit, et reconci-

(1) Joan. II, 19; Isai. VII, 14.

hiatus fuit Ecclesiæ in Concilio Chalcedonensi act. VIII, et ideo posuit Nestorium inter hæreticos lib. IV, de hæret. fabulis.

Huic hæresi non obscure favent, saltem in modo loquendi, Lutherus et Calvinus. Ille enim in Conc. de Nat. Dom.: *« Imperitii quidam, inquit, Christum hominem omnipotentem faciunt. »* Idem tamen Lutherus sæpe contrarium docuit, ut mihi sane magis Eutychnianista, quam Nestorianus fuisse videatur. Quod etiam vidit, et notavit Beza; nam ad finem libri adversus Jacobi Andrea theses recitat hanc Lutheri sententiam, atque addit: *« Germaniæ et totius Mundi peccata fecisse, ut in ea confessione Lutherus non perseveravit. »*

Calvinus autem lib. I. Instit. cap. 13. § 9. de Christo disputans ut est persona quedam divina, sic ait: *« Mediatoris personam nondum attingo. »* Et § 23: *« Respondeo, inquit, Dei esse Filium, quia Sermo est a Patre ante secula genitus: nondum enim de Mediatoris persona nobis sermo est. »* Et § 24: *« Nam ex quo manifestatus est in carne Christus, Filius Dei vocatur, non tantum quatenus ante secula genitus ex Patre fuit æternus Sermo, sed quia Mediatoris suscipit personam, et munus. »* Ubi perpetuo distinguere videtur Calvinus in Christo duas personas, unam Filii Dei, alteram Mediatoris. Nec videtur excusari posse, quasi nomine personæ Mediatoris, non substantiam, sed qualitatem intelligat, quo modo dicere solemus, alienam suscepisse personam iudicis, aut advocati. Nam ibidem § 6. *« Personam, inquit, voca subsistentiam. »* Et in toto illo capite, personæ nomine utitur ad designandam substantiam incommunicabilem. Itaque saltem a vitiosa æquivocatione excusari non potest. Clarissime autem huic hæresi favent Brentius in lib. de Majest. hom. Christ., ubi sæpissime repetit, Filium Dei esse in Filio Mariæ; et Sidelinius in thesibus, ut supra notavimus.

CAPUT VI.

Refellitur hæresis Nestorii.

Sed jam hanc ipsam hæresim breviter refellamus, ac demonstremus, unam in Christo esse personam, et non purum hominem, sed ipsum Deum Verbum, secundum carnem de Virgine natum, passum in cruce, ac mortuum esse. Ac primum omnium testimonia quæ protulimus contra novos Samosatenos, et novos Arianos in primo libro, ut probarem, Christum esse verum Deum, non minorem vim habent adversus Nestorium, quam adversus novos Samosatenos et Arianos.

Præterea novum Testamentum plenum est testimoniis. Math. XVI. *Quem dicunt homines esse Filium hominis? Respondit Petrus: Tu es Christus Filium Dei vivi.* Ubi aperte B. Petrus ipsum Filium hominis Filium Dei vivi esse constituit. Lucæ I. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ille igitur ipse qui natus est ex Virgine, non aliquis alius, vere vocatur, et est Filius Dei. Item. Jo. I. *Et Verbum caro factum est* (4). Ulenim supra diximus contra Eutychnianos, verus sensus eorum verborum est *Verbum caro factum est*, id est: *Deus factus est homo*, sicut dicimus, David factus est Rex; ut ergo David et Rex non sunt duæ personæ, sed una, licet diversæ formæ sint natura humana et dignitas regia: ita quoque una persona est Verbi et carnis, licet duæ ac diversæ sint formæ, sive naturæ, divinitas Verbi, et hominis caro.

Simile est illud Jo. III: *Nemo ascendit in celum nisi qui descendit de celo, Filius hominis, qui est in celo* (2). Hunc enim locum non facile est aliter exponere, quam ut Chrysostomus, Augustinus et Cyrillus in hunc locum, et Nazianzenus epist. I. ad Chelidon. exposuerunt: nimirum, Dominus eundem asserit Filium hominis et Filium Dei; alioqui enim falsum esset, Filium hominis descendisse de celo, et tunc cum loquebatur in terra, simul in celo fuisse.

Item Joan. X. *Ego et Pater unum sumus* (3). Quæ certe verba humanæ personæ convenire non possunt; ac propterea ille homo Christus qui tunc loquebatur, non Verbi templum tantummodo, sed Verbum ipsum erat. Et cap. IX, dixit Dominus cæco, paulo ante illuminato: *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille: Quis est Domine, ut credam in eum? dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est. At ille ait: Credo Domine. Et procedens adoravit eum* (4). Non poterat sane Dominus apertius demonstrare, unam esse personam Filii Dei et Filii hominis. Nam illum ipsum, quem cæcus illuminatus vidit, audivit, adoravit, Filium Dei appellari videmus. Et cap. XX, dixit Thomas Domino quem videbat: *Dominus meus, et Deus meus* (5). Hunc locum mire depravabat Theodorus Mopsuestenus, ut patet ex V, Synodo act. ult. cap. 12. dicebat enim, Thomam non dixisse de Christo: *Dominus meus, et Deus meus*, sed obstupescemtem de miraculo resurrectionis glorificasse Deum, oculisque in cælum sublatis dixisse Deo Patri: *Dominus meus, et Deus meus!*

Sed præterquam quod Sancti omnes aliter exponunt, etiam ipse Sanctus Joannes ibidem providens hæresim Nestorii, imo scribens contra Cerinthum eadem hæresi laborantem, mox subdit: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei* (6), id est, *ut non dividatis Christum in duas personas, in Filium Dei, et Filium hominis, sed credatis, Jesum Filium Mariæ eundem esse Christum Filium Dei.* Præterea non ait Joannes, dixit Thomas: *Dominus meus, et Deus meus*, sed ait: *Respondit et dixit ei, id est, Christo: Dominus meus, et Deus meus.* Neque est in textu Græco nota exclamatio vel admirationis, sed i, articulus designans simplicem confessionem veritatis. Sed de hoc loco plura diximus supra, lib. I. cap. 6.

Jam Apostolus Rom. VIII. *Qui proprio Filio, inquit, non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quid clarius? Et cap. IX. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen* (7). Ille igitur Christus homo, qui filius erat Abraham secundum carnem, non Dei templum, aut instrumentum erat, sed ipse Deus verus super omnia benedictus in se-

(1) Math. XVI, 13 et 16; Luc. I, 35; Joan. I, 14. — (2) Joan. III, 13. — (3) Joan. X, 30. — (4) Joan. IX, 35 et seq. — (5) Joan. XX, 28. — (6) Joan. XX, 31. — (7) Rom. VIII, 32; IX, 5.

cula. Phil. II. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo, sed semetipsum exaniavit, formam servi accipiens*: Et infra: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*. I. Cor. II: *Si enim cognovissent, nunquam Domini glorie crucifixerunt* (1). Et hæc plane clarissima sunt: hinc enim habemus, illud ipsum Verbum quod est apud Patrem in forma Dei, et Dominus gloriæ verissime nominatur, illud, inquam, ipsum hominis formam accepisse, atque in ea vere crucifixum et mortuum esse.

Rursum idem Apostolus cum ait I. Corinth. VIII. *Unus Dominus Jesu Christus per quem omnia* (2); per illud per quem omnia idem significat quod Joannes illis cap. I: *Omnia per ipsum facta sunt* (3), quæ de Verbo Dei omnium consensu intelliguntur. Itaque Apostolus dicere voluit, unum et eundem esse Jesum Christum de Maria natum, et illum Filium Dei per quem omnia facta sunt, et Heb. I. clarissime: *Multifariam, multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et secula* (4). Ubi cum dicit locutus est nobis in Filio, de Christo homine loquitur, et tamen de isto eodem dicit: *Per quem fecit et secula*. Et cap. II. *Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, per passionem consummare*. Et infra: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium*. Ubi dicit, eum propter quem omnia, et per quem omnia, id est, *verum Deum, qui est principium et finis omnium rerum, mori debuisse pro nobis, et ut vere mori posset, quomodo nos morimur, participasse carnem et sanguinem eo modo quo nos participamus, id est, vere factum esse hominem, ut nos sumus* (5).

Præterea Joannes in epist. I. cap. 1, nihil aliud fere docet, quam unam esse Dei, et hominis in Christo personam: *Quod fuit, inquit, ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris etc.* ait, se vidisse oculis corporalibus Verbum quod fuit ab initio, quod non potest esse verum, nisi ratione unitatis personæ; et cap. II: *Quis est mendax, nisi qui negat quoniam Jesus non est Christus? id*

est, qui dividit Salvatorem in duos, ut Cerinthus et Nestorius faciunt. Et cap. III. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit* (6). Quid est, Deus pro nobis animam suam posuit, nisi Deus pro nobis mortuus est? Non igitur alius est Dei Filius immortalis, alius Maria Filius, qui mortem pertulit: sed unus et idem, quia Filius Dei semper immortalis, quia Filius Mariæ aliquando mortalis fuit. Et cap. IV: *Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est et hic est Antichristus*. Et infra: *Quisquis ergo confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet*. Et cap. V. et ult. *Quis est, qui vincit Mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei* (7)?

Ad hæc omnia loca respondent Nestoriani: se non negare, Jesum esse Filium Dei, et Deum, et unum tantum, non duos; sed unitate habitationis, voluntatis, operationis, participationis, ut supra diximus, non unitate personæ. At Cerinthus ista etiam confitebatur de Christo; et tamen Joannes dicit, illum solvere Jesum, et non confiteri Jesum esse Filium Dei.

Præterea illa omnia quæ Nestoriani tribuunt Christo, conveniunt etiam aliis Sanctis hominibus. Nam quod Deus in Sanctis suis ut in templis habitet, habetur I. Corinth. III: *Nescitis quoniam templum Dei estis*. Et I. Cor. 6: *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est? Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (8). Quod etiam per unionem voluntatis Sancti unum sint cum Deo, non minus quam vir et uxor per carnalem copulam, quod Theodorus Mopsuestenus pro magna dignitate tribuebat Christo, habetur ibidem I. Corinth. VI. *Qui adheret, inquit Paulus, meretrici, unum corpus efficitur: erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adheret Domino, unum spiritus est* (9), quid clarius?

Quod autem per homines sanctos, ut per instrumenta, Deus operetur, habetur Rom. XV: *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus, verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti etc.* I. Cor. XII. *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus* (10). Denique, quod sancti homines sint filii et Dii etiam quidam per par-

ticipationem et gratiam, habetur Psalm. LXXXI. *Ego dixi, Dii estis, et filii excelsi omnes*. Et Gal. IV: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra etc.* (1). Itaque omnia quæ Nestorius tribuit Christo, in Sanctis cæteris inveniantur. At certum est longe aliter Christum esse Deum, et Dei Filium, quam nos simus, cum Apostolus dicat, magnum esse pietatis mysterium, quod Deus apparuerit in carne, I. Tim. III.

Probatur secundo ex omnibus Symbolis Fidei. Nam in Symbolo Apostolorum legitur: *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine etc.* Ubi is qui est Filius Dei unicus, dicitur natus ex Maria Virgine. Idem habetur in Symbolo Nicæno, et Constantinopolitano. In Symbolo autem Athanasii additur explicatio: *Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus: unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ*.

Probatur tertio ex Conciliis. Nam in primis in Concilio III, quod fuit Ephesinum I, nihil aliud definitum est, quam unam esse Christi personam, non duas. Et ibidem recepta est epistola Cyrilli ad Nestorium cum duodecim capitulis seu anathematismis, quæ Cyrillus ediderat in Concilio provinciali Alexandrino, antequam cogere Concilium Ephesinum. Unde ista duodecim capitula habita sunt postea tanquam Concilii generalis Ephesini, ut patet ex Concilio Romano sub Martino I.

In primo igitur capite ita legis: « Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam Virginem, anathema sit. » In secundo autem capite sic: « Si quis non confitetur carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum et hominem simul, anathema sit. »

Deinde in Concilio Chalcedonensi etiam generali, act. V, probata fuerunt acta in Ephesino Concilio contra Nestorium, et rursum sic definitum: « Salva utriusque naturæ proprietate, et in unam personam ac substantiam concurrentem, non in duas personas distributum, vel divisum, sed unum, et ipsum unigenitum Filium Deum Verbum agnoscimus etc. »

Item in V. Synodo generali, can. 4: « Si

quis dicit secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum æqualitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, unionem Dei Verbi ad hominem factam esse. » Et infra: « Et non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse, anathema sit. » Et can. 5: « Si quis introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas etc. anathema sit. » Et can. 6: « Si quis abusive et non vere Dei genitricem esse dicit gloriosam semper Virginem Mariam, anathema sit. »

Idem habetur in Concilio Lateranensi sub Martino I, consult. ult., can. 6. « Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem ex duabus et in duabus naturis substantialiter unitis inconfuse et indivise unum eundemque esse Dominum et Deum Jesum Christum, sit condemnatus. »

Idem in Concilio VI generali, act. IV, in Concilio Hispanensi II, cap. ult. Toletano VI, cap. 1, et aliis multis.

Probatur quarto ex Patribus. Ac in primis B. Cyrillus et Joannes Cassianus ex professo hanc hæresim refutarunt. Cyrillus in lib. de Incarnat. Dom., et in Apolog. pro duod. capit., et in aliis fere omnibus suis operibus, ubi etiam multa Veterum testimonia pro se adducit. Cassianus lib. VII. de Incarnat. scripsit contra Nestorium jussu S. Leonis I. et in fine lib. VII, plurima recitat Græcorum et Latinorum Patrum testimonia.

Præter ea quæ isti adducunt, possumus alia quædam afferre. Sanctus Ignatius in epist. ad Ephes., inquit: « Filius Dei ante secula genitus, ubi juxta Patris voluntatem et arbitrium omnia condidisset: is in utero gestatus est, ex Maria juxta dispensationem natus est ex semine David conceptus de Spiritu sancto. »

B. Justinus Martyr in lib. de rect. Fide confess. circ. med.: « Unus, inquit, est Filius, et qui mortuus est, et qui id quod mortuum erat excitavit. Cum ergo de uno filio contrarias voces audiet, ea quæ dicuntur naturis tribue: ac si magnum quiddam et divinam, divinæ id naturæ tributum: si quid parvum et humanum, humanæ adscribit. Sic enim et verborum discrepantiam vitabis.

(1) Philipp. II. 6 et 8; I. Cor. II. 8. — (2) I. Cor. VIII. 6. — (3) Joan. I. 3. — (4) Hebr. I. 1. — (5) Hebr. II. 10 et 14. — (6) I. Joan. I. 1; II. 22; III. 16. — (7) I. Joan. IV. 3 et 15; V. 5. — (8) I. Cor. III. 16; VI. 19. — (9) I. Cor. VI. 16 et 17. — (10) Rom. XV. 18; I. Cor. XII. 6.

(1) Psal. LXXXI. 6; Galat. IV. 6.

cum sua utraque natura recipiet, et Filium unum omnia sæcula antecessisse, et unum ex Scripturis fatebere.»

S. Irenæus lib. III, cōt. her. a cap. 48 usque ad 22 probat multis testimoniis Scripturarum, unum et eundem esse Jesum Filium Mariæ, et Verbum Dei Patris. Athanasius in epist. ad Epict. cir. fin. : « De solo, inquit, Mariæ Filio scriptum est, Verbum caro factum est. Ex quibus ostenditur, ad reliquos Sanctos Verbum factum esse, prophetandi gratia, ex Maria autem ipsum Verbum, carne assumpta, hominem produisse.» Et infra : « Non quod Filium a Verbo segregemus, sed quia eundem hunc esse agnoscimus, per quem omnia facta sunt, et per quem nos liberati sumus.»

Gregorius Nazianzenus epist. I. ad Chelidon. : « Si quis, inquit, Virginem Mariam nequaquam Dei genitricem esse credit, is etiam a Deitate sit separatus. Si quis duos introducit filios, unum quidem ex Deo Patre, secundum autem ex matre, et non unum et eundem, adoptione filiali, quæ promissa est iis qui recte credunt, exciderit. Si quis non adorat crucifixum, anathema sit, ac Dei annumeretur interfectoibus.»

Basilius lib. IV, in Eunom. exponens illud : « Dominus creavit me : Capiendum igitur, inquit, verbum Genuit de Deo Filio : creavit vero de eo qui formam servi accepit. In omnibus autem istis non duos dicimus, Deum seorsum, et hominem seorsum (Unus enim erat) cogitatione ac mente cujuslibet naturam reputantes.

Damasceus lib. III, de Fid. c. 9. « Ipsius, inquit, Verbi hypostasis utriusque nature hypostasis existens, nullam insubstantem esse permittit etc.»

Jam ex Latinis. S. Cyprianus lib. II. cont. Jud. cap. 8. : « Quod, inquit, cum a principio Filius Dei fuisset, generari haberet denuo secundum carnem etc.» Et cap. 40. quod homo et Deus Christus ex utroque genere concretus, ut Mediator esse inter nos, et Patrem posset etc.

Hilarius lib. II. de Trinit. « Unus unigenitus Deus in corpusculi humani formam sanctæ Virginis utero insertus accrescit, quia omnia continet, et intra quem omnia sunt, humani partus lege profertur etc.»

Ambrosius lib. de Incarn. Dom. Sacram., cap. 5 : Cum Deus, inquit, semper esset æternus, Incarnationis Sacramenta suscepit, non divisus, sed unus, quia utrumque unus,

et unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore : non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, etc.»

Hieronymus in cap. 14. Matth. : « Quod, inquit, ascendit solus orare, non ad eum referas qui de quinque panibus quinque saturavit hominum millia, sed ad eum qui audita morte Joannis secessit in solitudinem, non quod personam Domini separemus, sed quod opera ejus inter Deum et hominem divisa sint.» Et in epist. de virginit. custod. ad Euseb. : « Dei Filius, inquit, pro nostra salute, hominis factus est filius; decem mensibus in utero ut nascatur expectat, et ille pugillo Mundum includens, præsepis continetur angustiis.»

Augustinus Enchir. cap. 35 : « Proinde, inquit, Christus Jesus Dei Filius est et Deus et homo : Deus quia Dei verbum; homo autem quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis et caro.» Etc. 36 : « Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Similia habet lib. XIII, Trinit. cap. 17, epist. 3. ad Velus. 402. ad Evod.; et 120. cap. 4. ad Honorat., et alibi.

Denique B. Leo nihil frequentius repetit in omnibus suis Sermonibus et epistolis, sed præcipue epist. 97. ad Leonem Augustum cap. 1. ubi sic ait : « Anathematizet ergo Nestorius qui B. Virginem Mariam, non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis.»

CAPUT VII.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Superest argumenta solvere Nestorianorum, quæ ut plurimum sophistica sunt. Argumentum primum, Joan. II, Dominus ait : *Solvite templum hoc*, cum loqueretur de sua humanitate; ergo Deus Christus, et homo Christus due personæ sunt. Nam non dixit, solvite me : et præterea non potest esse idem templum, et qui in templo habitat. Hoc argumentum facit Theodoretus in reprehensione secundi anathematismi Cyrilli, et postea sæpe repetit.

Respondeo : hoc argumento recte probari, duas esse in Christo naturas, non autem duas personas. Nam etiam animus noster dicitur habitare in corpore, ut in suo tabernaculo, quia diversa est natura animi a natura corporis : et tamen una persona est, quæ ex animo et corpore constat. Job. IV, dicuntur homines inhabitare domos luteas : et II. Corin. V, Apostolus dicit : *Si terrestris domus hujus nostre habitationis etc.* Ibidem : *Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati*. Et II. Petri I. : *Velox est depositio tabernaculi mei* (1). Itaque recte Chrysostomus hom. 10. in Jo. ex illo *Et habitavit in nobis* colligit, duas esse naturas in Christo : non recte autem Theodoretus colligit duas personas.

Argumentum secundum. Apostolus de Christo dicit Philipp. II. *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (2); non igitur Christus Deus homo fuit, sed hominibus similis propter indumentum humanitatis. Quemadmodum Rex indutus rusticis vestibus non esset rusticus, sed rusticorum similis.

Quare Theodoretus, (qui, ut supra diximus, aliquando Nestorii partes secutus est) in Commentario hujus loci scribit, Paulum voluisse dicere, Verbum non esse factum hominem, sed induisse hominem.

Respondeo cum Ambrosio, Chrysostomo Theophylacto, et (Cœcumenio in hunc locum : Christum non fuisse hominem, sed similem hominibus in ea significatione qua hic accipitur homo; nam cum Paulus dicit, Christum factum esse in similitudinem hominum, et habitu inventum ut hominem; *Homini* vocem accipit, ut significat ordinariè purum hominem, conceptum ex semine viri, natum in peccato, peccatis obnoxium. Talis enim Christus videbatur, sed non erat : qua significatione utitur idem Paulus cum ait ad Gal. I. se Evangelium non didicisse ab homine, sed a Christo. Ubi sine dubio per hominem purum hominem intelligit : alioqui non diceret, *sed a Christo*, quasi Christus non esset homo, cum idem Paulus dixisset : *Unus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*. I. Timoth. II. (3).

Porro Chrysostomus indicat etiam aliam explanationem, quam sequuntur Haymo et S. Thom. ut illud *In similitudinem hominum* significet similitudinem in specie humana, et sensus sit *Christum factum esse verum ho-*

minem, proinde similem cæteris in specie. Cui explanationi satis convenit id, quod præcedit : *Formam servi accipiens*; est enim forma servi natura humana, ut supra ostendimus. Vox autem *Habitatus* hoc loco non significat vestem, sed externam figuram, ut Chrysostomus, Theophylactus, et Cœcumenius exponunt. Non enim Græce est *ἔδωκεν*, sed *ἔθηκεν* itaque sensus est : *Christus figura corporis exteriori videbatur unus de turba hominum cum tamen esset singularis quadam, et divinus homo, vel figura exteriori ostendebat se verum esse hominem.*

Quia tamen Augustinus libr. LXXXIII. quest. 73. Cyrillus lib. XI. in Jo. cap. 14. Haymo et Thomas in hunc locum, per *habitu* intelligunt indumentum. Responderi potest ad argumentum : humanitatem vocari indumentum Verbi, non quia Verbum non sit vere et substantialiter homo, sed propter similitudinem, quæ est inter vestes et humanitatem. Nam ut per vestes homines cognoscuntur sic per humanitatem Deus agnitus est : et quemadmodum cum vestes induimus, aptantur vestes ad figuram corporis, et proinde vestes mutantur, non homo; sic etiam, cum Verbum caro factum est, humanitas mutata est, Verbo immutabiliter permanente. Igitur propter has et alias ejusmodi similitudines dici potest humanitas indumentum Verbi, licet alioqui Verbum vere et substantialiter homo factum sit.

Argumentum tertium, Hebr. VII. Filius Dei Christus dicitur *esse sine matre, et sine genealogia*; ergo alius est Filius Mariæ, qui matrem et genealogiam habet, et alius Filius Dei, qui utroque caret.

Respondet recte Cassianus lib. VII de Incarn., posse argumentum in adversarios retorqueri. Nam ibidem ab Apostolo, de quo dictum est sine matre, sine genealogia, de eodem dicitur sine patre; ergo si iste locus intelligitur de Filio Dei, sequitur, Filium Dei non habere Patrem, quod est contra Nestorium, qui distinguit Filium Dei Patris a Filio Virginis Matris. Dicit deinde Cassianus : Apostolum duas Christi nativitates explicare voluisse; unam sine matre, nimirum divinam; alteram sine patre, nimirum humanam.

Argumentum quartum. Nomen Deus absolute positum, non significat Deum homini

(1) II. Cor. V, 1 et 4; II. Petri. I, 14. — (2) Philipp. II, 7. — (3) I. Timoth. II, 5.